UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana Libri XVI

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1634**

26. De Demosthenica Figurarum tractatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70090

Visual Library

*Transitiones.*

VErrina 3.nu.155. Cognoſcite aliud hominis in re vetere, &c.

Ibidem, n.123. Superbia verò qua fuerit, quis ignorat, &c.

Pro Roſc. Amer. n.66. Quapropter vos oro, &c.

Pro Marcell. n.21. Nunc verò venio ad grauiſſimam, &c.

Verrina 3. nu.42. Nolite quæſo, Iudices breuitate orationis, &c.

Verrina 3.n.103. Verùm ad illam iam veniamus, &c.

Verrina 4. n.34. Quantam poteſtatem habuerit, videtis, quas res, &c.

Verrina 5.nu.10. Superiore omni oratione perattentos veſtros animos habuimus, &c.

*De Demoſthenica figurarum tractatione.*

CAPVT XXVI.

DEmoſthenes in tractatione figurarum ſententię, grauis eſt, & varius: non habet illud quidem genus molle, & declamatorium, quod otioſis auribus adblandiatur: ſed totus fermè eſt in πρακτικῷ, in quo certè vim habet prope incredibilem, quod hæc è multis pauca ſatis indicabunt.

## INTERROGATIO.

### Quis vſus interrogationis apud Demoſthenem.

*Sæpè vtitur hac figura, dum vult aliquid inſinuare mentibus: & interrogat ſe, & ſuſpendit animos: deinde reſpondet.*

Οὐχὶ καλῶς ἔχειν ἡγοῦμαι. διὰ τί; ὅτι μοι δοκεῖ πάνθ' ὅσα ἂν εἴπῃ τις ὑπὲρ τούτων, ἐκείνῳ μὲν ἔχειν φιλοτιμίαν τινὰ, ἡμῖν δ' οὐχὶ καλῶς πεπρᾶχθαι. Ὁ μὲν γὰρ ὅσῳ πλείονα ὑπὲρ τὴν ἀξίαν πεποίηκε τὴν αὑτοῦ, τοσούτῳ θαυμαστότερος παρὰ πᾶσι νομίζεται. ὑμεῖς δ' ὅσῳ χεῖρον ἢ προσῆκε κέχρησθαι τοῖς πράγμασι, τοσούτῳ πλείονα αἰσχύνην ὠφλήκατε. Ταῦτα μὲν οὖν παραλείψω.

NOn conſultum eſſe exiſtimo: quamobrem? quia quicquid ea de re dixeris, id vt ei aliquid afferre laudis, ſic à nobis non præclarè adminiſtratum eſſe videatur, quo enim is plura ſupra dignitatem ſuam geſſit, eo admirabilior apud omnes habetur. Vos quantò deterius, quàm decuerat, vſi rebus eſtis; tantò maiorem ignominiam ſuſcepiſtis. Hæc igitur omittam.

## SYNATHROISMVS.

### Animaduerte hic orationis vibratam celeritatem.

*Philippum diceres, quaſi torrentem effuſum rapi, & Græciæ vrbes inuoluere mira velocitate.*

Ἦρ' ἄγε λογίζεταί τις ὑμῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ θεωρεῖ τὸν τρόπον δι' ὃν μέγας γέγονεν, ἀσθενὴς ὢν καὶ κατ' ἀρχὰς Φίλιππος; τὸ πρῶτον Ἀμφίπολιν λαβὼν, μετὰ ταῦτα Πύδναν, πάλιν Ποτίδαιαν, Μεθώνην αὖθις, εἶτα Θετταλίας ἐπέβη. κατὰ

NVMQVIS veſtrûm cogitat, Athenienſes, & ſpectat, quemadmodum magnus euaſerit, infirmus cum eſſet initio Philippus? Primum Amphipoli capta, poſtea Pydna, mox Potidæa, denique Methone, poſtremò Theſſaliam inuaſit. Demùm, quum Pheras, Pagaſas, Magneſiam, omnia ſuo arbitratu

ταῦτα Φεράς, Παγασὰς, Μαγνησίαν, πάνθ' ὃν ἐβούλετο εὐτρεπίσας τρόπον, ᾤχετ' εἰς Θρᾴκην, εἶτ' ἐκεῖ τοὺς μὲν ἐκβαλὼν, τοὺς δὲ καταστήσας τῶν βασιλέων, ἠσθένησε· πάλιν ῥαΐσας, οὐκ ἐπὶ τὸ ῥᾳθυμεῖν ἀπέκλινεν, ἀλλ' εὐθὺς Ὀλυνθίοις ἐπεχείρησε· τὰς δ' ἐπ' Ἰλλυριοὺς, καὶ Παίονας αὐτοῦ, καὶ πρὸς ἀρύμβαν, καὶ ὅπη τις ἂν εἴποι.

compoſuiſſet, in Thraciam abijt. Deinde ibi, Regibus alijs eiectis, alijs conſtitutis, in morbum incidit: ex eo paululum recreatus, non ad ſocordiam ſe deflexit, ſed ſtatim Olynthios eſt aggreſſus. Eius autem in Illyrios, & Pæones, & aduerſus Arymbam, & quò non.

## P R O L E P S I S.

*Prolepſes habet frequentes, eſt enim pugnax rationibus, & in aliorum ſubodorandis, refellendisq́; obiectionibus ſagax & induſtrius.*

Τί οὖν τις ἂν, εἴπει, ταῦτα λέγεις ὑμῖν νῦν; ἵνα γνῶτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ αἴσθησθε ἀμφότερα, καὶ τὸ προΐεσθαι καθ' ἕκαστον ἀεί τι τῶν πραγμάτων, ὡς ἀλυσιτελές. καὶ τὴν φιλοπραγμοσύνην, ᾗ πρὸς ἅπαντας χρῆται, καὶ συζῇ Φίλιππος. ὑφ' ἧς οὐκ ἔστιν ὅπως ἀγαπήσας τοῖς πεπραγμένοις ἡσυχίαν σχήσει.

QVid ergo, inquiet aliquis, iſta nobis commemoras nunc? Vtrumque, vt cognoſcatis, Athenienſes, & ſentiatis, tum proijcere ſingulatim ſemper aliquid rerum, quam non expediat: tum perpetuam in rebus gerendis alacritatem, qua erga omnes Philippus vtitur: præ qua fieri non poterit, vt rebus geſtis contentus, in otio ſe contineat.

## *ALIVD EXEMPLVM PROLEPSEOS.*

Τὸ μὲν οὖν ἐπιτιμᾶν, ἴσως φήσαι τις ἂν ῥᾴδιον, καὶ παντὸς εἶναι, τὸ δ' ὑπὲρ τῶν παρόντων, ὅ τι δεῖ πράττειν, ἀποφαίνεσθαι, τοῦτ' εἶναι συμβούλου. ἐγὼ δὲ οὐκ ἀγνοῶ μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦθ', ὅτι πολλάκις ὑμεῖς οὐ τοὺς αἰτίους, ἀλλὰ τοὺς ὑστάτους περὶ τῶν πραγμάτων εἰπόντας, ἐν ὀργῇ ποιεῖσθε, ἄν τι μὴ κατὰ γνώμην ἐκβῇ. οὐ μὴν οἶμαί γε δεῖν, τὴν ἰδίαν ἀσφάλειαν σκοποῦνθ' ὑποστείλασθαι.

AC reprehendere quidem, dixerit forſan aliquis eſſe facilè, & cuiuſuis: quid autem de his rebus ſtatuendum ſit, pronuntiare, id eſſe conſiliarij. Ego verò, quanquam illud non ignoro, ſæpè vos, non ijs, qui ſunt in culpa, ſed his, qui poſtremi ſententiam dixerint, iraſci, vbi quid ex ſententia non euenerit: non tamen arbitror meæ priuatæ ſalutis ita habendam eſſe mihi rationem, vt quicquam diſſimulem, quod è re veſtra futurum eſſe ducam.

## *M E O S I S.*

Tanta induſtria plerumque vituperat, vt videatur rem minuere; callidè tamen auget, nam prætextu iſtius moderationis altius imprimit vulnus.

*Vide, quàm molliter agit: diceres eum Philippo parcere, ſatis tamen indicat eum in hoc æſtu ſe ſuperfundentis fortunæ, praua qualibet poſſe committere.*

Olynth. 1. Καὶ ἄνθρωπος ὑβριστὴς, ὥς φασι, καὶ μὰ δί' οὐδὲν ἄπιστον ἴσως. τὸ γὰρ εὖ πράτ-

ET homo importunus eſt, vt aiunt: neque profectò id incredibile fortaſſis eſt: nam

τειν παρὰ τὴν ἀξίαν, ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς γίνεται.

res ſecundiores, quàm par eſt, temeritatis occaſionem incautis præbent.

---

## *S V B I E C T I O.*

Subiectiones contortas amat, & pugnaces, quæ totæ rigeant aculeis rationum.

Olynth. 1. Ἢν δ' ἐκεῖνα Φίλιππος λάβῃ, τίς αὐτὸν ἔτι κωλύσει δεῦρο βαδίζειν; Θηβαῖοι; μὴ λίαν πικρὸν εἰπεῖν ᾖ, καὶ συνεισβαλοῦσιν ἑτοίμως. ἀλλὰ Φωκεῖς; οἱ τὴν οἰκείαν οὐχ οἷοί τε ὄντες φυλάττειν, ἐὰν μὴ βοηθήσητε ὑμεῖς. ἢ ἄλλος τις; ἀλλ' ὦ τᾶν οὐχὶ βουλήσεται.

SIn illa Philippus occuparit: quis eum porrò huc ire prohibebit? Thebani? ne ſit dictu acerbius, etiam expeditè vnà irrumpent. An Phocenſes? qui ne ſua quidem ſine veſtris auxilijs tueri poſſunt. Aut alius quiſpiam? at herculè, nolet.

---

## EXAGGERATIO CLADIS BELLICAE.

In exaggerando non eſt verboſus, ſed de induſtria concidit orationem, & vt Timantes in tabulis, plura relinquit cogitanda, quàm pingit.

Olynth. 1. Εἰ δὲ δὴ πόλεμος ἥξει, πόσα χρὴ νομίσαι ζημιωθήσεσθαι; καὶ προσέσται ἡ ὕβρις. ἔτι ἡ τῶν πραγμάτων αἰσχύνη, οὐδεμιᾶς ἐλάττων ζημίας τοῖς γε σώφροσι.

QVOD ſi quæ hoſtiles copiæ venerint: quantæ clades erunt metuendæ? accedet proteruitas, atque inſuper ipſius rei dedecus: quod nullo minus eſt detrimento, ſanis quidem hominibus.

---

## *E P I P L E X I S.*

Olynth. 3. Ἢ φρασάτω τις ἐμοὶ παρελθών, πόθεν ἄλλοθεν ἰσχυρὸς γέγονεν, ἢ παρ' ἡμῶν αὐτῶν, Φίλιππος; ἀλλ' ὦ τᾶν, εἰ ταῦτα φαύλως, τά γ' ἐν αὐτῇ τῇ πόλει νῦν ἄμεινον ἔχει; καὶ τί ἄν τις εἰπεῖν ἔχοι; τὰς ἐπάλξεις ἃς κονιῶμεν, καὶ τὰς ὁδοὺς ἃς ἐπισκευάζομεν, καὶ κρήνας, καὶ λήρους; ἀποβλέψατε δὴ πρὸς τοὺς τὰ τοιαῦτα πολιτευομένους· ὧν οἱ μὲν ἐκ πτωχῶν πλούσιοι γεγόνασιν, οἱ δὲ ἐξ ἀδόξων ἔντιμοι, ἔνιοι δὲ τὰς ἰδίας τῶν δημοσίων οἰκοδομημάτων σεμνοτέρας εἰσὶ κατεσκευασμένοι· ὅσῳ δὲ τὰ τῆς πόλεως ἐλάττω γέγονε, τοσούτῳ τὰ τούτων ηὔξηται. τί δὲ τὸ πάντων αἴτιον τούτων; καὶ τί δή ποτε ἅπαντ' εἶχε καλῶς τό-

ALIOQVI progrediatur aliquis, & mihi dicat, vnde, niſi per noſmetipſos, ita ſint auctæ opes Philippi? Sed heus tu, ſi vitioſa hæc ſunt, at vrbanarum rerum ſtatus eſt melior. Ecquid autem dici queat? num propugnacula, quæ tectorio inducimus? & viæ, quas reficimus? & fontes? & nugæ? Eos quæſo intuemini, quorum hæc acta ſunt in Republica: quorum alij è mendicis facti ſunt diuites, alij ex obſcuris clari, nonnulli priuatas ædes publicis ſubſtructionibus ſplendidiores compararunt: & quantò reſpublica plus detrimenti cœpit, tantò res iſtorum factæ ſunt ampliores. Quæ igitur cauſa eſt horum omnium? & cur tandem ſe omnia tum præclarè habuerunt, & nunc haud rectè? Primùm, quod & populus, cum ipſe mili-

τε καὶ νῦν οὐχ ὁρθῶς; ὅτι τὸ μὲν πρότερον, καὶ στρατεύεσθε τολμῶν αὐτὸς ὁ δῆμος, δεσπότης τῶν πολιτευομένων ἦν, καὶ κύριος αὐτὸς ἁπάντων τῶν ἀγαθῶν, καὶ ἀγαπητὸν ἦν, παρὰ τοῦ δήμου, τῶν ἄλλων ἑκάστῳ, καὶ τιμῆς, καὶ ἀρχῆς, καὶ ἀγαθοῦ τινος μεταλαβεῖν. νῦν δὲ τοὐναντίον, κύριοι μὲν τῶν ἀγαθῶν οἱ πολιτευόμενοι, καὶ διὰ τούτων ἅπαντα πράττεται· ὑμεῖς καὶ ὁ δῆμος ἐκνενευρισμένοι, καὶ περιῃρημένοι χρήματα, συμμάχους, ἐν ὑπηρέτου καὶ προσθήκης μέρει γεγένησθε, ἀγαπῶντες ἐὰν μεταδιδῶσι θεωρικῶν ὑμῖν, ἢ Βοΐδια πέμψωσιν οὗτοι· καὶ τὸ πάντων ἀνανδρότατον, τῶν ὑμετέρων αὐτῶν χάριν προσοφείλετε· οἱ δ' ἐν αὐτῇ τῇ πόλει καθείρξαντες ὑμᾶς, ὑπάγουσιν ἐπὶ ταῦτα, καὶ τιθασεύουσι, χειροήθεις αὐτοῖς ποιοῦντες. ἔστι δ' οὐδέποτ', οἶμαι, μέγα καὶ νεανικὸν φρόνημα λαβεῖν, μικρὰ καὶ φαῦλα πράττοντας. ἐπεὶ ἄττα γὰρ ἂν τὰ ἐπιτηδεύματα τῶν ἀνθρώπων ᾖ, τοιοῦτον ἀνάγκη καὶ φρόνημα ἔχειν ταῦτα. μὰ τὴν Δήμητρα, οὐκ ἂν θαυμάσαιμι, εἰ μείζων εἰπόντι ἐμοὶ γένοιτο παρ' ὑμῶν βλάβη, τῶν πεποιηκότων αὐτὰ γενέσθαι· οὐδὲ γὰρ παρρησία περὶ πάντων ἀεὶ παρ' ὑμῖν ἐστιν· ἀλλ' ἔγωγε, ὅτι καὶ νῦν γέγονε, θαυμάζω. ἐὰν οὖν ἀλλὰ νῦν γ' ἔτι ἀπαλλαγέντες τούτων τῶν ἐθῶν ἐθελήσητε στρατεύεσθαί τε, καὶ πράττειν ἀξίως ὑμῶν αὐτῶν, καὶ ταῖς περιουσίαις, ταῖς οἴκοι ταύταις ἀφορμαῖς ἐπὶ τὰ ἔξω τῶν ἀγαθῶν χρήσησθε, ἴσως ἂν ἴσως, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τέλειόν τι καὶ μέγα κτήσαισθε ἀγαθόν, καὶ τῶν τοιούτων λημμάτων ἀπαλλαγείητε, ἃ τοῖς ἀσθενοῦσι παρὰ τῶν ἰατρῶν σιτίοις διδομένοις ἔοικε. καὶ γὰρ οὔτε ἰσχὺν ἐκεῖνα ἐντίθησιν, οὔτ' ἀποθνήσκειν ἐᾷ. καὶ ταῦτα ἃ νέμεσθε νῦν ὑμεῖς, οὔτε τοσαῦτά ἐστιν, ὥστ' ὠφέλειαν ἔχειν τινὰ διαρκῆ, οὔτ' ἀπογνόντας ἄλλο τι πράττειν ἐᾷ. ἀλλ' ἔστι ταῦτα τὴν ἑκάστου ῥᾳθυμίαν ὑμῶν ἐπαυξάνοντα.

militare auderet, dominus erat magiſtratuum, & bona omnia in ſua poteſtate habebat: & bene ſecum agi putabant cæteri omnes, ſi à populo, & magiſtratum, & honorem, & beneficium aliquod conſecuti eſſent. Nunc contrà, bona omnia in poteſtate ſunt magiſtratuum, & per hos geruntur omnia: vos populus eneruati, & ſpoliati pecunia, ſocijs, famuli, & additamenti vicem obtinetis: contenti theatrali pecunia, quam iſti vobis impertiunt: aut bucculis, ſi quas fortè miſerint. Et, quod eſt omnium ignauiſsimum, cùm ea vobis dantur, veſtia quæ ſunt, gratiam etiam habetis, quaſi beneficia in vos conferantur. Qui verò vos in hanc vrbem, tanquam carcerem incluſere, ad talia vos alliciunt, & cicurant, vt vos ad nutum paratos habeant. Neque verò mea quidem ſententia fieri vnquam poteſt, vt magnos, & generoſos animos ſumant ij, qui paruis, & vilibus rebus occupantur. Nam qualiacunque hominum ſtudia fuerint, talibus eos & animis eſſe præditos neceſſe eſt. Hæc medius fidius, haud mirabor, ſi mihi qui dixerim, plus apud vos nocuerint, quam ijs, qui ea fecerunt. Neque enim ſemper apud vos omnibus de rebus liberè loqui licet, idque ego, vel nunc licuiſſe miror. Quòd ſi nunc ſaltem, moribus iſtis relictis, militare voletis, & agere pro veſtra dignitate, atque iſtis domeſticis opibus, velut inſtrumentis vtemini, ad externa bona comparanda, fortaſſis, Athenienſes, fortaſſis perfectum aliquod, & magnum bonum conſequemini, talibus lucellis repudiatis, quæ cum cibis, quos dant ægrotis medici, conferri poſſunt. Etenim, vt illi neque vires augent, neque emori patiuntur: ſic & iſta, quæ vos nunc percipitis, neque tanta ſunt, vt iuſtam vtilitatem aliquam afferant: neque vos ijs deſpectis, ad alia conuerti patiuntur, ſed alimenta ſunt veſtrûm omnium ſocordiæ.

---

## ITEM EPIPLEXIS BREVIS, ET MORDAX.

Flumen magnæ mentis eſt hæc oratio.

Ο Μὰ τὸν Δία, καὶ τοὺς ἄλλους θεούς, οὐ δύνασθε ὑμεῖς ποιῆσαι, οὐδὲ βούλε-

QVod, ita me amet Iupiter aliijque Dij, neque poteſtis vos facere, neque vultis: ſed

δέ. ἀλλ' εἰς τοῦτο ἀφῖχθε μωρίας, ἢ παρανοίας, ἢ οὐκ ἔχω τί λέγω, (πολλάκις γὰρ ἔμοιγε ἐπελήλυθε, καὶ τοῦτο φοβεῖσθαι, μή τι δαιμόνιον τὰ πράγματα ἐλαύνῃ) ὥς λοιδορίας, ἢ φθόνου, ἢ σκώμματος ἕνεκ' ἢ ἧς τινος ἂν τύχητε αἰτίας ἀνθρώπους μισθωτούς, (ὧν οὐδ' ἂν ἀρνηθεῖεν ἔνιοι ὡς οὐκ εἰσὶ τοιοῦτοι,) λέγειν κελεύετε, καὶ γελᾶτε ἄν τισι λοιδορηθῶσι· καὶ οὐχὶ τοῦτο πω δεινόν, καίπερ ὂν δεινόν, ἀλλὰ καὶ μετὰ πλείονος ἀσφαλείας πολιτεύεσθαι δεδώκατε τούτοις, ἢ τοῖς ὑπὲρ ὑμῶν λέγουσι.

ſed in eam ſtultitiam veniſtis, aut delirium, aut neſcio quid dicam (ſæpe enim illud etiam veteri mihi ſubit, ne quod numen res agitet) vt conuitij, aut inuidiæ, aut dicterij gratia, quæcunque vobis cauſa in mentem inciderit; homines mercenarios, (quorum quidam haud negaturi ſunt ſe eſſe tales) dicere iubeatis: & rideatis, ſi quibus conuitia fecerint. Neque dum hoc graue eſt, quanquam graue: ſed & illud eis dediſtis, vt minore cum periculo Rempubl. gerant, quàm veſtri defenſores.

## ITEM *OBIVRGATIO.*

In qua deſcriptio antiquorum morum, quos cum nouis comparat.

*Si comparentur ea, quæ Iſocrates habet in eodem argumento, venationis videbuntur, & ludorum: hæc iuſti prælij.*

*Olinth. 3.* Ἐκεῖνοι τοίνυν οἷς ἐχαρίζοντο οἱ λέγοντες, οὐδ' ἐφίλουν αὐτοὺς ὥσπερ ὑμᾶς οὗτοι νῦν, πέντε μὲν καὶ ἑξήκοντα ἔτη τῶν Ἑλλήνων ἦρξαν ἑκόντων· πλείω δὲ ἢ μύρια τάλαντα εἰς τὴν ἀκρόπολιν συνήγαγον· ὑπήκουε δ' ὁ ταύτην ἔχων τὴν χώραν αὐτοῖς βασιλεύς, ὥσπερ ἐστὶ προσῆκον, βάρβαρον Ἕλλησι· πολλὰ δὲ καὶ καλά, καὶ πεζῇ, καὶ ναυμαχοῦντες ἔστησαν τρόπαια αὐτοὶ στρατευόμενοι, μόνοι δ' ἀνθρώπων, κρείττω τὴν ἐπὶ τοῖς ἔργοις δόξαν τῶν φθονούντων κατέλιπον. ἐπὶ μὲν δὴ τῶν Ἑλληνικῶν ἦσαν τοιοῦτοι· ἐν δὲ τοῖς κατὰ τὴν πόλιν αὐτήν, θεάσασθε ὁποῖοι ἔν τε τοῖς κοινοῖς, καὶ τοῖς ἰδίοις. δημοσίᾳ μὲν τοίνυν οἰκοδομήματα, καὶ κάλλη τοιαῦτα, καὶ τοσαῦτα κατεσκεύασαν ἡμῖν ἱερῶν, καὶ τῶν ἐν τούτοις ἀναθημάτων, ὥστε μηδενὶ τῶν ἐπιγιγνομένων ὑπερβολὴν λελεῖφθαι. ἰδίᾳ δὲ οὕτω σώφρονες ἦσαν, καὶ σφόδρα ἐν τῷ τῆς πολιτείας ἤθει μένοντες, ὥστε τὴν Ἀριστείδου, καὶ τὴν Μιλτιάδου, καὶ τῶν τότε λαμπρῶν οἰκίαν εἴ τις ἄρα οἶδεν ὑμῶν ὁποία ποτ' ἐστίν, ὁρᾷ τῆς τοῦ γείτονος οὐδὲν σεμνοτέραν οὖσαν. οὐ γὰρ εἰς περιουσίαν ἐπράττετο αὐτοῖς τὰ τῆς πόλεως, ἀλλὰ τὸ κοινὸν αὔξειν ἕκα-

ILli igitur, quibus non adulabantur Oratores, quos non ita amabant, vt vos iſti nunc quinque & ſexaginta annos Græcis volentibus imperarunt: ampliùs decies mille talenta in arcem congeſſerunt, & regem iſtius prouinciæ dicto audientem habuerunt, ſicut æquum eſt parere Græcis barbarum: & multa præclaraque trophæa terra, marique parta erexerunt, cùm ipſi militarent, & ſoli mortalium eam rerum geſtarum gloriam, ad quam nullus inuidiæ pateret aditus, reliquerunt. Ac in tuenda Græcia fuere tales. In ipſa verò vrbe, ſpectate quales & publicis, & priuatis in rebus ſe præbuerint. Publicè igitur ædificia, & ornamenta talia, & tanta inſtruxere nobis fanorum, & quæ his continentur donariorum, vt nihil addi poſſit à poſteris ad illorum excellentiam. Priuatim autem adeò modeſti fuerunt, & tanta cura inſtitutum Reipub. obſeruarunt, vt ſi quis fortè veſtrûm Ariſtidis, & Miltiadis, & illius ætatis illuſtrium hominum ædes nouit, cuiuſmodi ſint, vicini ædibus nihilo eſſe ſplendidiores videat. Neque enim rei familiaris amplificandæ gratia Rempublicam gerebant, ſed quiſque ſibi rem communem augendam eſſe putabat. Cum autem res Græcorum fideliter, religionem Deorum immortalium piè, commercia inter ipſos æquabiliter admi-

στος ᾤετο δεῖν· ἐκ δὲ τοῦ τὰ μὲν ἑλληνικὰ πιστῶς, τὰ δὲ πρὸς τοὺς θεοὺς εὐσεβῶς, τὰ δ' ἐν αὐτοῖς ἴσως διοικεῖν, μεγάλην εἰκότως ἐκτήσαντο εὐδαιμονίαν. τότε μὲν δὴ τοῦτον τὸν τρόπον εἶχε τὰ πράγματα ἐκείνοις χρωμένοις, οἷς εἶπον, προστάταις.

adminiſtrarent, non iniuria magnam ſibi fœlicitatem pepererunt: Tunc igitur ad hunc modum, dum illi, quos dixi, ſummæ Reipublicæ præerant, ſe res habuerunt.

*(Deinde ad ſua tempora deſcendit)*

*Olynth.* 3. Νυνὶ δὲ πῶς ὑμῖν ὑπὸ τῶν χρηστῶν τῶν νῦν πράγματα ἔχει, ἆρα γε ὁμοίως, καὶ παραπλησίως; καὶ τὰ μὲν ἄλλα σιωπῶ, πόλλ' ἂν ἔχων εἰπεῖν, ἀλλ' ὅσης ἅπαντες ὁρᾶτε ἐρημίας ἐπειλημμένοι, καὶ λακεδαιμονίων μὲν ἀπολωλότων, θηβαίων δὲ ἀσχόλων ὄντων, τῶν δὲ ἄλλων οὐδενὸς ὄντος ἀξιόχρεω περὶ τῶν πρωτείων ἡμῖν ἀντιτάξασθαι. Ἐξὸν δὲ ἡμῖν, καὶ τὰ ἡμέτερα αὐτῶν ἀσφαλῶς ἔχειν, καὶ τὰ τῶν ἄλλων δίκαια βραβεύειν. ἀπεστερήμεθα μὲν χώρας οἰκείας, πλείω δὲ ἢ χίλια, καὶ πεντακόσια τάλαντα ἀνηλώκαμεν εἰς οὐδὲν δέον· οὓς δὲ ἐν τῷ πολέμῳ συμμάχους ἐκτησάμεθα, εἰρήνης οὔσης ἀπολωλέκασιν οὗτοι. ἐχθρὸν δὲ ἐφ' ἡμᾶς αὐτοὺς τηλικοῦτον ἠσκήκαμεν.

NVNC dum leues iſti præſunt, quis rerum veſtrarum ſtatus eſt? Idémne, & ſimilis? ac cætera quidem taceo, cùm haberem multa dicere Sed quanquam in tantam incidimus ſolitudinem, quantam videtis omnes, cum Lacedæmonij perierint, & Thebani occupati ſint, & cæterorum nemo tantas vires habeat, vt nobiſcum de principatu contendere auſit: cumque nobis liceret, & priuata noſtra ſine periculo tenere, & reliquorum controuerſias diſceptare: tamen priuati ſumus noſtra prouincia, & amplius mille & quingenta talenta nullo cum fructu inſumpſimus, & quos in bello ſocios parauimus, hi pacis tempore perierunt, & hoſtem contra noſmetipſos tantùm inſtruximus.

## ITEM OBIVRGATIO GRAVIS, ET SERIA.

*Philipp.* 4. Ὑμεῖς τοίνυν οὔτ' ἀκούειν πρὶν ἂν, ὥσπερ νῦν, αὐτὰ παρῇ τὰ πράγματα, οὔτε βουλεύεσθαι περὶ οὐδενὸς, εἰώθατε ἐφ' ἡσυχίας. ἀλλ' ὅταν μὲν ἐκεῖνος παρασκευάζηται ἐφ' ὑμᾶς, ἀμελήσαντες τὸ ποιεῖν τοῦτο, καὶ ἀντιπαρασκευάζεσθαι, ῥαθυμεῖτε, καὶ ἐάν τι λέγῃ τις, ἐκβάλλετε. ἐπειδὰν δὲ ἀπολωλὸς, ἢ πολιορκούμενόν τι πύθησθε, τηνικαῦτ' ἀκροᾶσθε, καὶ παρασκευάζεσθε. ἦν δὲ ἀκηκοέναι μὲν, καὶ βεβουλεῦσθαι τότε καιρὸς, ὅθ' ὑμεῖς οὐκ ἠθελήσατε. πράττειν δὲ καὶ χρῆσθαι τοῖς παρεσκευασμένοις, νῦν ἡνίκ' ἀκούετε. τοιγαροῦν ἐκ τῶν τοιούτων ἐθῶν, μόνοι τῶν πάντων ἀνθρώπων ὑμεῖς τοὐναντίον τοῖς ἄλλοις ποιεῖτε. οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι πάντες ἄνθρωποι, πρὸ τῶν πραγμάτων εἰώθασι χρῆσθαι τῷ βουλεύεσθαι. ὑμεῖς δὲ μετὰ τὰ πράγματα.

VOs autem nec audire, priuſquam res ipſæ adſint, vt nunc: nec vlla de re deliberare ſoletis per otium: ſed cum ille ſe contra vos inſtruit, idem agere, & viciſſim inſtrui ceſſatis, & ſi quis aliquid tale dixerit, eijcitis. Poſtquam autem perijſſe, aut obſideri aliquid intellexiſtis: tum demùm auditis, & inſtruimini. Fuiſſet autem audiendi tempus, & comparandi ſeſe, tum, cum vos noluiſtis: rei autem gerendæ, & vtendi apparatu, nunc cùm auditis. Itaque his moribus ſoli mortalium omnium, contrà quàm alij ſolent, factitatis. Nam omnes alij homines ante negotia deliberare ſolent: vos poſt negotia.

## ITEM NOBILISSIMA OBIVRGATIO MORVM *recentium.*

Philipp. 3.

Τί οὖν αἴτιον τουτωνί; οὐ γὰρ ἄνευ λόγου, καὶ δικαίας αἰτίας, οὔτε τότε οὕτως εἶχον ἑτοίμως, πρὸς ἐλευθερίαν ἅπαντες οἱ Ἕλληνες· οὔτε νῦν πρὸς τὸ δουλεύειν. ἦν τι τότ' ἦν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐν ταῖς τῶν πολλῶν διανοίαις, ὃ νῦν οὐκ ἔστιν, ὃ καὶ τοῦ Περσῶν ἐκράτησε πλούτου, καὶ ἐλευθέραν ἦγε τὴν Ἑλλάδα, καὶ οὔτε ναυμαχίας, οὔτε πεζῆς μάχης οὐδεμιᾶς ἡττᾶτο· νῦν δ' ἀπολωλὸς, ἅπαντα λελύμανται, καὶ ἄνω καὶ κάτω πεποίηκε τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα. τί οὖν ἦν τοῦτο; οὐδὲν ποικίλον οὐδὲ σοφὸν, ἀλλ' ὅτι τοὺς παρὰ τῶν ἄρχειν βουλομένων, ἢ καὶ διαφθείρειν τὴν Ἑλλάδα, χρήματα λαμβάνοντας, ἅπαντες ἐμίσουν· καὶ χαλεπώτατον ἦν, τὸ δωροδοκοῦντα ἐξελεγχθῆναι, καὶ τιμωρίᾳ μεγίστῃ τοῦτον ἐκόλαζον, καὶ παραίτησις οὐδεμία ἦν οὐδὲ συγγνώμη. τὸν οὖν καιρὸν ἑκάστου τῶν πραγμάτων, ὃν ἡ τύχη, καὶ τοῖς ἀμελοῦσι κατὰ τῶν προσεχόντων, καὶ τοῖς μηδὲν ἐθέλουσι ποιεῖν, κατὰ τῶν πάντα ἃ προσήκει πραττόντων, πολλάκις παρασκευάζει, οὐκ ἦν πρίασθαι παρὰ τῶν λεγόντων, οὐδὲ πῶς στρατηγούντων, οὐδὲ τὴν πρὸς ἀλλήλους ὁμόνοιαν, οὐδὲ τὴν πρὸς τοὺς βαρβάρους καὶ τοὺς τυράννους ἀπιστίαν, οὐδ' ὅλως τῶν τοιούτων οὐδέν. νῦν δ' ἅπανθ' ὥσπερ ἐξ ἀγορᾶς ἐκπέπραται ταῦτα. ἀντεισῆκται δὲ ἀντὶ τούτων, ὑφ' ὧν ἀπόλωλε καὶ νενόσηκεν ἡ Ἑλλάς. ταῦτα δ' ἐστὶ τί; ζῆλος, εἴ τις εἴληφέ τι· γέλως, ἂν ὁμολογῇ· συγγνώμη τοῖς ἐλεγχομένοις· μῖσος, ἂν τούτοις τις ἐπιτιμᾷ· τἄλλα πάντα, ὅσα ἐκ τοῦ δωροδοκεῖν ἤρτηται. ἐπεὶ τριήρεις γε, καὶ σωμάτων πλῆθος, καὶ χρημάτων πρόσοδοι, καὶ τῆς ἄλλης κατασκευῆς ἀφθονία, καὶ τἄλλα, οἷς ἄν τις ἰσχύειν τὰς πόλεις κρίνοι, νῦν ἅπαντα, καὶ πλείω, καὶ μείζω ἐστὶ τῶν τότε πολλῷ· ἀλλ' ἅπαντα ταῦτα ἄχρηστα, ἄπρακτα, ἀνόνητα ὑπὸ τῶν πωλούντων γίγνεται.

QVÆ igitur cauſſa eſt harum rerum? neque enim ſine ratione, & iuſta cauſſa, vel tum adeò alacres erant ad libertatem defendendam omnes Græci, vel nunc ad tolerandam ſeruitutem Fuit tum aliquid, fuit, Athenienſes, in populi animis, quod nunc non eſt: quod Perſarum opulentiam vicit: quod Græciæ libertatem aſſeruit: quod neque naualibus, neque terreſtribus in prælijs ſuccubuit Id poſtquam nunc perditum eſt, omnia corrupit, & totam Græciam ſurſum deorſum permiſcuit. Quid igitur fuit illud? nihil multiplex, aut artificioſum, ſed vniuerſale, & perpetuum odium eorum, qui à dominandi cupidis, aut etiam Græciam corrumpere conantibus, pecuniam accipiebant. Grauiſsimum crimen erat, ſi quis acceptorum munerum conuinceretur: eumque maximis pœnis afficiebant: neque deprecationi erat, aut veniæ quicquam loci. Proinde occaſionem ſingularum rerum, quam fortuna etiam negligentibus contra attentos, & ignauiſſimis contra ſtrenuiſsimos ſæpe ſuppeditat, à nemine vel oratore; vel Imperatore nundinari licebat; neque etiam concordiam inter nos: neque diffidentiam aduerſus barbaros, & tyrannos; neque denique tale quicquam. Nunc tanquam è foro, & diuèndita ſunt omnia, & contra importata ea, per quæ Græcia & perijt, & laborauit. Ea quæ ſunt? Admiratio, ſi quis aliquid accepit: riſus ſi confitetur: venia, ſi conuincitur: odium, ſi quis iſta reprehendit: cætera omnia, quæ pendent à corruptelis. Nam & triremes, & multitudo hominum, & pecuniarij reditus, & reliqui apparatus copia, cætera denique, quibus vrbium vires æſtimari ſolent, nunc omnia multò, & plura, & maiora ſunt, quam ſuperiori ætate: ſed vniuerſa hæc inutilia, irrita, manca fiunt, per eos, qui cauponantur.

## SVSTENTATIO.

*In qua ὀξύμωρον quoddam in ſenſu, vt fiat admirabilior.*

Philipp. 1. Ὃ γάρ ἐστι χείριστον αὐτῶν ἐκ τοῦ παρεληλυθότος χρόνου, τοῦτο πρὸς τὰ μέλλοντα βέλτιστον ὑπάρχει. Τί οὖν ἐστι τοῦτο; ὅτι οὐδὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν δεόντων ποιούντων ὑμῶν, κακῶς τὰ πράγματα ἔχει. ἐπεί τοι γε, εἰ πάνθ' ἃ προσῆκε, πραττόντων, οὕτως εἶχεν, οὐδ' ἂν ἐλπὶς ἦν αὐτὰ βελτίω γενέσθαι. ἔπειτα ἐνθυμητέον, καὶ παρ' ἄλλων ἀκούουσιν, καὶ τοῖς εἰδόσιν, αὐτοῖς ἀναμιμνησκομένοις ἡλίκην ποτ' ἐχόντων δύναμιν Λακεδαιμονίων ἐξ οὗ χρόνος οὐ πολύς, ὡς καλῶς καὶ προσηκόντως οὐδὲν ἀνάξιον ὑμεῖς ἐπράξατε τῆς πόλεως, ἀλλ' ὑπεμείνατε ὑπὲρ τῶν δικαίων τὸν πρὸς ἐκείνους πόλεμον. τίνος οὖν ἕνεκα ταῦτα λέγω; ἵν' εἰδῆτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ θεάσησθε, ὅτι οὐδὲν οὔτε φυλαττομένοις ὑμῖν ἐστὶ φοβερὸν, οὔτ' ἂν ὀλιγωρῆτε, τοιοῦτον οἷον ἂν ὑμεῖς ἐθέλησθε· παραδείγμασι χρώμενοι τῇ τότε ῥώμῃ τῶν Λακεδαιμονίων, ἧς ἐκρατεῖτε ἐκ τοῦ προσέχειν τοῖς πράγμασι τὸν νοῦν, καὶ τῇ νῦν ὕβρει τούτου, δι' ἣν ταραττόμεθα, ἐκ τοῦ μηδὲν φροντίζειν ὧν ἐχρῆν.

NAM quod in eo ſuperioribus temporibus fuit peſſimum, id ipſum eſt ad ea, quæ reſtant optimum. Quid illud igitur eſt? quod propter ſocordiam veſtram, & neglectum officij, res aduerſæ ſunt. Nam ſi vobis omnia, quę decet, agentibus, rés ita ſe haberent; ne ſpes quidem vlla relinqueretur, eas fore meliores. Deinde cogitandum id, quod partim ex alijs auditis, partim ipſi noſtis: atque in memoriam reuocandum quanta aliquando potentia Lacedæmonijs præditis: idque non ita olim, quam præclaré, & conuenienter, nihil alienum dignitate vrbis admiſeritis: ſed pro defenſione iuris bellum illorum ſuſtinueritis. Qua igitur gratia hæc dico? vt ſciatis, Athenienſes, & videatis, nec quicquam præcauentibus vobis eſſe formidabile: neque ſi neglexeritis, ex animi veſtri ſententia quicquam ſucceſſurum: vtque exemplis vtamini, potentiæ quæ tum fuit Lacedæmoniorum, quam vigilantia veſtra ſuperaſtis, & tunc inſolentiæ Philippi, propter quam æſtuamus, eò quod nihil eorum, quæ curanda erant, curauimus.

## EXEMPLVM ORATIONIS CIVILIS, ET FIGVRATAE, *per dialogiſmos, & ſermocinationes.*

Quæ eſt valde practica, & efficax ad ſenſus feriendos.

*Magna in hoc genere figurarum Demoſthenis felicitas.*

Philipp. 1. Πότ' οὖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πότε ἃ χρὴ πράξετε; ἐπειδὰν, νὴ Δία, ἀνάγκη τις ᾖ; νῦν δὲ τί χρὴ τὰ γιγνόμενα ἡγεῖσθαι; ἐγὼ μὲν γὰρ οἶμαι, τοῖς ἐλευθέροις μεγίστην ἀνάγκην τὴν ὑπὲρ τῶν πραγμάτων αἰσχύνην εἶναι. ἢ βούλεσθε, εἰπέ μοι, περιιόντες αὐτῶν πυνθάνεσθαι κατὰ τὴν ἀγοράν, λέγεταί τι καινόν; γένοιτο γὰρ ἄν τι καινότερον, ἢ Μακεδὼν ἀνὴρ Ἀθηναίους καταπολεμῶν, καὶ τὰ

QVando igitur Athenienſes, agenda quæ ſunt, agetis? Vbi aliquid acciderit? vbi credo neceſsitas aliqua fuerit? Quid vero de ijs, quę nunc fiunt, eſt exiſtimandū? Nam ego quidem arbitror liberis hominibus maximam eſſe neceſsitatem, ſuſceptū in rebus gerendis dedecus. Num vultis circũeuntes alius percõtari aliũ in foro: Age dic mihi: nũquid affertur noui? poteſtne quid magis nouum fieri, quàm quòd homo Macedo ſubigit Athenienſes, & Gręciã ad-

τῶν ἑλλήνων διοικῶν; τέθνηκε Φίλιππος, οὐ μὰ Δί', ἀλλ' ἀσθενεῖ. τί δ' ὑμῖν διαφέρει; καὶ γὰρ ἂν οὗτός τι πάθῃ, ταχέως ὑμεῖς ἕτερον Φίλιππον ποιήσετε, ἄνπερ οὕτως προσέχετε τοῖς πράγμασι τὸν νοῦν.

adminiſtrat? Obijt Philippus? non certè quidem, ſed ægrotat. Quid verò veſtra intereſt? etſi enim aliquid ei acciderit, celeriter vos alium Philippum facietis, ſi rebus ita eritis intenti.

---

*Item hæc plena γοργότητος, habet Epiplexin, Ironiam, Prolepſin, &c.*

*Philipp. 1.*

Οὐκ ἐχειροτονεῖτε δὲ ἐξ ὑμῶν αὐτῶν δεκαταξιάρχους, καὶ στρατηγοὺς, καὶ φυλάρχους, καὶ ἱππάρχους δύο; τί οὖν οὗτοι ποιοῦσι, πλὴν ἑνὸς ἀνδρὸς ὃν ἂν ἐκπέμψητε ἐπὶ τὸν πόλεμον; οἱ λοιποὶ τὰς πομπὰς πέμπουσιν ὑμῖν μετὰ τῶν ἱεροποιῶν. ὥσπερ γὰρ οἱ πλάττοντες τοὺς πηλίνους, εἰς τὴν ἀγορὰν χειροτονεῖτε τοὺς ταξιάρχους, καὶ τοὺς φυλάρχους, οὐκ ἐπὶ τὸν πόλεμον. Οὐ γὰρ ἐχρῆν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ταξιάρχους, παρ' ὑμῶν, ἱππάρχους παρ' ὑμῶν, ἄρχοντας οἰκείους εἶναι, ἵν' ἦν ὡς ἀληθῶς τῆς πόλεως ἡ δύναμις; ἀλλ' εἰς μὲν Λῆμνον τὸν παρ' ὑμῶν ἵππαρχον δεῖ πλεῖν, τῶν δ' ὑπὲρ τῶν τῆς πόλεως κτημάτων ἀγωνιζομένων Μενέλαον ἱππαρχεῖν, καὶ οὐ τὸν ἄνδρα μεμφόμενος ταῦτα λέγω, ἀλλ' ὑφ' ὑμῶν ἔδει κεχειροτονημένον εἶναι τοῦτον, ὅς τις ἂν ᾖ. Ἴσως δὲ ταῦτα μὲν ὀρθῶς ἡγεῖσθε λέγεσθαι. τὸ δὲ τῶν χρημάτων πόσα καὶ πόθεν ἔσται, μάλιστα ποθεῖτε ἀκοῦσαι, τοῦτο δὴ καὶ περαίνω. χρήματα τοίνυν, ἔστι μὲν ἡ τροφή, σιτηρέσιον τοῖς στρατευομένοις μόνον τῇ δυνάμει ταύτῃ τάλαντα ἐνενήκοντα, καὶ μικρόν τι πρός· δέκα μὲν ναυσὶ ταχείαις, τετταράκοντα τάλαντα, εἴκοσιν εἰς τὴν ναῦν μναῖ, τοῦ μηνὸς ἑκάστου. στρατιώταις δὲ δισχιλίοις, τοσαῦτα ἕτερα. ἵνα δέκα ἕκαστος τοῦ μηνὸς ὁ στρατιώτης δραχμὰς σιτηρέσιον λαμβάνῃ. τοῖς δ' ἱππεῦσι διακοσίοις οὖσιν, ἐὰν τριάκοντα δραχμὰς ἕκαστος λαμβάνῃ τοῦ μηνὸς, δώδεκα τάλαντα.

*Parentum cura.*

NONNE verò creaſtis è veſtris ciuibus decem centuriones, & duces, & tribunos, & magiſtros equitum duos? Quid autem iſti plus agunt vno viro, quem miſeritis ad bellum? Reliqui pompam vobis obeunt cum ſacrificulis. Vt enim ij, qui luteos fingunt, in forum creatis centuriones, & tribunos, non ad bellum. An non oportuit, Athenienſes, centuriones, ciues; magiſtros equitum, ciues; magiſtratus domeſticos eſſe: vt reuerà eſſent copiæ ciuitatis? An in Lemnum veſtro magiſtro equitum nauigandum eſt: eorum autem, qui pro noſtræ vrbis poſſeſſionibus præliantur, Menelaus eſt magiſter equitum? Neque hæc hominis reprehendendi cauſſa dico: ſed à vobis eum creatum eſſe oportebat, quiſquis tandem ſit. Fortaſſis autem hæc rectè dici putatis: pecunia verò quanta, & vnde comparanda ſit, maximè audire cupitis: id igitur ſanè expediam. Ea eſt pecuniæ ratio, vt ad alendum hunc exercitum, & cibaria duntaxat militibus comparanda, nonaginta ſint talenta numeranda, & paulò amplius: decem celeribus nauibus quadraginta talenta, vicenæ minæ in nauem ſingulis menſibus: militum duobus millibus totidem alia, vt duas ſinguli milites drachmas in menſem pro cibarijs accipiant: equitibus ducentis numero, ſi tricenas drachmas in menſem accipiant ſinguli, duodecim talenta.

## SERMOCINATIO, ET ORATIO *valde morata.*

Philipp. 4.

Ἀλλ' ἐπειδὰν ἡ τῶν πρὸς Φίλιππον ἐμπέσῃ, εὐθὺς ἀναστάς τις λέγει, ὡς οὐ δεῖ ληρεῖν, οὐδὲ γράφειν πόλεμον παραθεὶς εὐθέως ἐξῆς. τὸ τὴν εἰρήνην ἄγειν ὡς ἀγαθόν, καὶ τὸ τρέφειν δύναμιν μεγάλην, ὡς χαλεπόν, καὶ διαρπάζειν τινὲς τὰ χρήματα βούλονται; καὶ ἄλλους ὡς οἴονται, ἀληθεστάτους λέγουσιν. ἀλλὰ δεῖ δήπου τὴν μὲν εἰρήνην ἄγειν, οὐχ ὑμᾶς πείθειν, οἵ γε πεπεισμένοι καθῆσθε, ἀλλὰ τὸν τὰ τοῦ πολέμου πράττοντα. ἂν γὰρ ἐκεῖνος πεισθῇ, τά γε ἀφ' ὑμῶν ὑπάρχει.

SEd vbi aliqua Philippi mentio inciderit, ſtatim quidam ſurgens dicit: non eſſe nugandum, nec decernendum bellum: atque ordine collationem inſtituit: in pace viuere quam præclarum? & magnum alere exercitum, quam difficile? & quidnam diripere volunt ærarium: aliaſque fabulas narrant, vt opinantur, veriſſimas. Verùm, pacem, vt ſeruetis, non vobis certe eſt perſuadendum, quibus perſuaſum eſt: ſed illi, qui rei militari vacat. Cui perſuaſum ſi fuerit: in vobis ſanè mora nulla erit.

## ΠΑΡΡΗΣΙΑ.

Philipp. 11.

Ἐγὼ νὴ τοὺς θεοὺς τἀληθῆ μετὰ παῤῥησίας ἐρῶ πρὸς ὑμᾶς, καὶ οὐκ ἀποκρύψομαι, οὐχ ἵνα εἰς λοιδορίαν ἐμπεσὼν, ἐμαυτῷ μὲν ἐξ ἴσου λόγον παρ' ὑμῖν ποιήσω, τοῖς δ' ἐμοὶ προσκρούσασιν ἐξ ἀρχῆς, καινὴν παράσχω πρόφασιν τοῦ πάλιν γέ τι λαβεῖν παρὰ Φιλίππου. οὐδ' ἵνα τὴν ἄλλως ἀδολεσχῶ. ἀλλ' οἶμαι ποθ' ὑμᾶς λυπήσειν ἃ Φίλιππος πράττει μᾶλλον ἢ τὰ νυνί.

EGo ita me Dij ament, verum apud vos libere dicam, & non diſſimulabo: non vt conuitium delapſus, efficiam, vt ego viciſſim conuitijs apud vos inceſſar: ijs autem, qui ab initio mihi infeſti fuerunt, nouam præbeam occaſionem aliquid accipiendi à Philippo, neque, vt fruſtra garriam: ſed quod aliquando nobis moleſtiora Philippi facta puto, quàm nunc.

## DEPRECATIO.

Philipp. 11.

Ταῦτ' οὖν, ὡς μὲν ὑπομνῆσαι, νῦν ἱκανῶς εἴρηται. ὡς δ' ἂν ἐξετασθείη μάλιστ' ἀκριβῶς, μὴ γένοιτο ὦ πάντες θεοί.

HAec igitur, vt admonendi gratia, nunc dixiſſe ſufficiat: abſit autem, idque Dij omnes prohibeant, ne experiũdo certiſſime comprobentur.

### *De exarteſi figurarum, & figuris declamatorijs.*

### CAPVT XXVII.

ALiud eſt tractationis genus omninò pictum, effluens, & declamatorium, quale eſt logodædalorum, qui ad aurium pruritus delicias, quam ad probabilitatem elaborant orationem; cuius hic exempla nonnulla ſubijciemus, in quibus figuras figuris implexas, & contortulas acuminum concluſiones poſſis agnoſcere.